DE

VSV ATQVE PRAESTANTIA PHILOSOPHIAE

In

Theologia, Jurisprudentia, Medicina

breuiter disserit, simulque

RECITATIONES

suas priuatas

indicat

M. LAVRENTIVS MIZLERVS

Lipsiæ, d. XXIV Oct. A. cIↃIↃccxxxvI

Recusum prelo Lœwiano

A. cIↃ IↃ ccxxxx

A. Ω.

QUam insignis philosophiæ sit usus in omnibus scientiis, quantaque præstantia, certe nemo, qui, vel in transitu, philosophiæ naturam inspexerit, ignorat. Semper tantam, cum recentioribus, tum antiquis, temporibus, obtinuit uenerationem philosophia, ut semper nacta sit sectatores quam plurimos. Ex antiquis maxime quatuor sapientum familiæ, præ ceteris, claræ sunt, Academica, Peripatetica, Stoica, Epicurea. Sequentibus uero temporibus, atque præsertim nostris, innumerabiles fere prodierunt sectæ, quarum unaquæque ante alias sibi ueri inuestigationem arrogat, tantaque est in exploranda natura, discrepantia, ut potius in ignorantia, ac tranquillitate animi, sapientia, quam in diuersis philosophorum libris, quos systemata dicunt, quique sæpius Ouidianum illud chaos, quod erat

rudis indigestaque moles

sibi simile reddunt, quæri uideatur. Sic non potuit non fieri, ut pro diuersis hominum ingeniis, studiisque diuersis atque ætate, uariæ etiam, in perscrutanda natura, opiniones, in miseriam generis humani, nascerentur. Sic deinde hic auctoritate

præceptoris ductus, doctrinam eius arripit, ille, ob imbecillitatem ingenii temere credit, alius, arrogantiæ uitio omnes contemnit, nouasque hominibus inserit opiniones, alius adulatione in sententiam patroni abripitur, alter, metu odii, cogitata animi non exprimit, alter falsum pro uero arripit, & sic se plerumque decipiunt ipsi. Cum autem una tantum sit ueritas, ea erit ad sapientiam perueniendi uia eligenda, quæ minime fallax, quaque tutissimi ibimus. Hæc sine dubio non alia, quam mathematica, quæ, neglecta aliorum opinione & auctoritate, ueritatem ex natura ipsa haurit ac demonstrat, ita ut nullus, nisi insanus, dubitare possit. Philosophia illa igitur optima, quæ hac Methodo & Fundamento nititur, uerumque ex ipsa natura sedulo cognoscit. Est autem philosophia scientia omnium rerum, docens nos, quomodo & cur existant, uel existere possint. Omnes uero res existentes uno uerbo mundum appellemus licet, & huius mundi cognitionem, quoad eius fieri potest, philosophus sibi comparare studet. Est autem cognitio uel philosophica, uel historica. De historica nil dicemus hic, sed philosophiæ tantum disciplinas ante, quam philosophiæ usum ostendamus, cursim leuiterque perstringemus. Paucis autem monendum, male a quibusdam cognitionem humanam diuidi in philosophicam, mathematicam & historicam, nec uidendum, qua ratione matheſis, nobilior philosophiæ pars, ab ipsa philosophia separari possit, quæ quippe si omnium rerum, quomodo, & cur existant, uel existere possint, scientia est, ut recentioribus optime definitur, facile apparet, matheſin quoque ad philosophiam pertinere. Accuratius igitur diuiditur cognitio humana in historicam & philosophicam, philosophica autem

tem iterum in philoſophicam ſtricte ſic dictam & mathematicam. Occurrentibus uero, ſic etiam ſutorum, ſartorum aliorumque officinas ad philoſophiam referri poſſe, utpote quæ nihilo ſecius mundo continerentur, diſtinctione inter ſcientiam & artem commode reſpondetur. Scientia eſt habitus intellectus uerum, concluſionum ſerie, ita demonſtrans, ut in medio nullus ſit earum hiatus, ſed hae ordine, usque ad primum, idque per ſe uerum, principium, procedant. Ars autem magis corporis, quam intellectus, habitum requirit, ueritatesque eruit, quæ ſtatim in ſenſus incurrant, nec egeant demonſtratione. Artes aliæ ſunt liberales, aliæ illiberales, quarum illæ, ſeu humaniora, multum momenti ad eruditionem conferunt, licet illius tantum, maxime tamen neceſſaria, ſint inſtrumenta. Ceterum ne ille quidem eruditus cenſetur, qui uel philoſophiam omnem, memoria tantum tenet, niſi ſuismet ipſe meditationibus explorauerit ueritatem eius. Pertinet uero ad philoſophiam, præter diſciplinas, uulgo ſic dictas

I	*Logicam*	IV	*Ethicam*
II	*Phyſicam*	V	*Politicam*
III	*Metaphyſicam*	VI	*Ius naturæ*

ipſa quoque matheſis. Nam in rerum natura conſideranda non ſolum perſcrutandaque ſunt, intellectus humanus, qui Logicam, eiusque uoluntas, quæ Ethicam, Deus & Spiritus, qui Metaphyſicam, hominum inter ſe commercium, quod Politicam & Ius naturæ conſtituit, & natura generatim, unde Phyſica prouenit, ſed præterea corporum proprietates. Hinc

I *Algebra*, ſeu matheſis uniuerſalis
II *Arithmetica*, ſeu numerorum ſcientia
III *Geometria*, ſeu quantitatis extenſæ ſcientia, quæ eſt uel theoretica, uel practica. Ad theoreticam pertinet a, plana elementaris Euclidis, Conica Apollonii, ſublimior recentiorum, & b, ſphærica Theodoſii. Ad practicam, Geodæſia, Pithometria, Geodæſia ſubterranea, Nauſimetria. Porro Geometriæ methodus particularis, ſeu
IV *Trigonometria*, quæ iterum eſt uel plana, uel ſphærica.
Ad indagandam naturam ſolidorum pertinet
V *Phoronomia*, ſeu Mechanica theoretica
VI *Mechanica practica*
Fluidorum autem
VII *Hydroſtatica*
VIII *Hydraulica*
Ad demonſtrandas uiſus ueritates eſt
IX *Optica*
X *Perſpectiua*
XI *Catoptrica*
XII *Dioptrica*
auditus autem
XIII *Acuſtica*, ſeu doctrina de ſono ſimplici
XIV *Muſica*, ſeu doctrina de ſono harmonico
Ex conſideratione corporum maiorum prouenit
XV *Aſtronomia*
XVI *Geographia*
XVII *Hydrographia*

mi-

minoris autem

XVIII *Aerometria*

Ad metiendum tempus, & quidem maius est

XIX *Chronologia*

minus autem

XX *Gnomonica*

Vulgo etiam huc practicæ quædam artes, quia ex superioribus, geometria maxime principia petunt, referuntur, ut

XXI *Architectura ciuilis*

XXII *Architectura militaris*

XXIII *Architectura naualis*

XXIV *Mechanica nautica*

XXV *Pyrobolica*

Sed omnes hæ scientiæ commodè absolui possunt Arithmetica, Geometria, Mechanica, Optica, Astronomia & Chronologia, ut celeberrimus noster HAVSENIVS in præfatione ad præstantissimi operis, elementorum matheseos partem primam monet.

Amplius corporum internam naturam & uim, illorumque uirtutes, resoluendo, componendo, & sic porro, explorat, unde *Chymia*.

Maxime autem super omnia, tam ad conseruandam ualetudinem, omnium in hac uita bonorum præstantissimum, quam ad intelligendam immensi Dei sapientiam, corpus suum, summo illo artifice mirabiliter constructum, penitus inspicere debet, quæ omnium fere nobilissima contemplatio

Anatomiam;

Seu

Seu doctrinam de partibus corporis humani mortui, & *Physiologiam*,

Seu Anthropologiam, id est doctrinam de functionibus corporis nostri uiui genuit.

Has sine dubio scientias omnes philosopho intelligere conuenit, si omnium rerum naturam & finem, id est, cur & quomodo existant, uel existere possint, erudite, conclusionum nempe serie ita ad primum principium perductum, ut nulla amplius adsit dubitatio, explicare uelit. Videmus igitur quanta in dignitate constituta sit philosophia, quantamque nobis polliceatur cognitionem de Deo & mundo. Perspicimus ultro omnes illas superiores, quas dicunt facultates, in philosophia inniti, neque, nisi hac fultas, consistere posse.

Nostrum nunc erit paucis illius usum, in tribus ordinibus, theologia, iurisprudentia, medicina, commonstrare.

Late patet in primis in theologia philosophiæ usus, & theologia naturalis, ut Paulus ipse in Epistola ad Romanos ait, est pædagogia ad reuelatam. Διοτι το γνωστον τȣ Θεȣ φανερον εστι εν αυτοις cet. & actorum apostolorum scriptor, και τοιγε ουκ αμαρτυρον εαυτον αφηκεν, & alio loco, Ζητειν τον κυριον, ει αραγε cet. Metaphysica igitur præ omnibus aliis philosophiæ scientiis theologo maxime necessaria, ut uideat immensam Dei sapientiam, simulque haud sufficientem erga Deum esse religionem cultumque naturalem, cum nusquam media de reconciliando nobis Deo ibi inueniantur, & hac de causa alia in Dei nos gratiam restituens medicina quærenda, quam, in reuelata theologia ac Seruatore cruci affixo, miseratione ductus, in salutem generis humani æternam, benigne nobis adhibuit Deus.

Lo-

Logica deinde, quæ eſt doctrina de uiribus intellectus humani in cognoſcendo uero, ut omni erudito, ſic in primis theologo magnam præbet utilitatem. Huic enim præceteris ſæpius uerba publice facienda, mox e ſuggeſtu, mox coram moribundo, porro iam triſtes conſolari, iam cum lætis de beneficiis diuinis lætari debet, & ubicunque poſtulatur, ut cogitationes ſuas ordinate, concinne, apte, in medium proferat, ſuaque animi ſenſa ita explicet, ut auditores facile ea intelligant, neque obſcuris uerbis, diſturbatoque ordine ita animos populi confundat, ut poſtea nemo quid dicere uoluerit, ſciat, & ſanctas ueritates, quas caſta eloquentia ornare debuiſſet, ſic potius deformet, ſeque prudentiorum riſui exponat. Taceo cæteros, quos ex hac diſciplina capit ſacrarum litterarum cultor fructus, qui magni ſunt maxime in Hermeneutica, præſtantiſſima theologiæ parte, quosque magis deſiderant illi, qui hac diſciplina deſtituti, quam ii ſentiunt, qui ea imbuti. Ethica porro maxime neceſſaria, quam non ſine magna utilitate cum præceptis Seruatoris confert, & inde haud obſcure uidet, quanto præſtantior ſit Seruatoris de ſummo bono & emendanda uoluntate doctrina, illa ſola animi lumine naturali fundata.

Politica autem & ius naturæ theologo præcipue noſtris temporibus utiliſſimæ ſcientiæ, & quamuis non mediate ad promouendam populi ſalutem, immediate tamen, ut aiunt, multum conferunt. Hæ duæ enim diſciplinæ ita perpoliunt theologum, ut non modo cum omni hominum genere prudenter uerſari, unicuique ſuum tribuere ſciat, uerum etiam apud omnes, principes, proceres, doctos & indoctos gratum ſe acceptumque reddat, & ſic melius caſtum ſanctumque Dei cultum in uſum reipublicæ ſalutisque æternæ propaget, quam ſi falſa opinione exagi-

tatus, omnisque cognitionis pragmaticæ expers, pio quodam errore ductus, aliis se rebus in reipublicæ, suæque ipsius salutis, perniciem, quasi a Deo ad id constitutus, immiscеat, sæpiusque plus potentiæ, quam Seruator ipse, sibi tribuat. Certe non tanta esset inter theologos & Iure consultos quosdam, ut sæpius animaduertitur, discrepantia, si hi diligentiores in ponderandis Christianæ religionis ueritatibus essent, illi autem mature has duas scientias studiosius tractarent.

Physicæ etiam cognitio haud inutilis, quæ maxime homines superstitione exuit, theologumque docet, ne effecta naturæ pro miraculis & prodigiis in fraudem populi, & sapientum oblectamentum, prædicet.

Ceterum matheseos scientiæ multum etiam sanctæ religionis studiosum iuuant, & ob præstantissimam illam methodum atque ἀκρίβειαν, omnibus eruditis necessariam, & ob magnum, quod in explicanda scriptura sacra, rectiusque intelligenda, affert lumen. Sine arithmetica enim in Chronologia & sine Chronologia in iis, quæ de eclipsibus, nouiluniis & pleniluniis dicuntur, proficere non potest. Geographia in itineribus populi Israelis, Apostolorum, aliorumque sanctorum uirorum, Geometria in multis locis, Astronomia in signis coelestibus solidius explicandis, architectura ad melius intelligendam Noachi arcam, templum Salomonis, & tapernaculum, multum prodest, quem usum matheseos in scriptura sacra nostris temporibus summa diligentia ostendit WIDEBVRGIVS. Ad hoc non tantum multum utilitatis, quod ad eruditionem theologicam augendam, uerum etiam multum sinceræ uoluptatis ex mathematicis disciplinis capit sanctiorum litterarum cultor, quando in primis pagani sacerdotes & alii, uario modo post sanctas actiones otio fruentes

&

& animum paſcere, & intelligentiam acuere, & ſapientiam Dei clarius magis magisque uidere, & multa, multa inquam, in oeconomiæ uſum conuertere poſſunt.

Iuris prudentia duobus maxime nititur fundamentis, iure diuino, & iure naturæ. Vnde ſatis clare apparet, quam maxime neceſſarium ſit iuris naturalis Iureconſulto ſtudium. Re uera enim iuris prudentia nil aliud eſt, quam ius naturæ applicatum ad facta hominum, ſi pauca de computatione graduum, de matrimonio, excipias, quæ iure diuino præcipiuntur, & quædam, quæ arbitrio principis recepta ſunt, ut doctrina de teſtamentis, & contractibus, quam doctrinam, cum in iure naturæ, ſeu libro de officiis hominis & ciuis docuerit Puffendorfius, in non mediocri uerſatur errore. Jus naturæ enim nullam nouit diſtinctionem inter contractum & pactum, & ex mero Romanorum arbitrio proficiſcitur, qui plures etiam ſpecies quam quinque contractuum, emtionem uenditionem, locationem conductionem, mandatum, commodatum, depoſitum, conſtituere potuiſſent. Sed cum ueteribus Romanis ita placuerit, non ſolum multæ exortæ ſunt diſtinctiones inter contractus, proprios nempe & quaſi contractus, inter nominatos & innominatos, quales ſunt, do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, & ſic plures, uerum etiam ipſorum contractuum beneficorum numerus mancus eſt, cum numerando ſolum ad eos, mandatum, commodatum, depoſitum, omiſerint his tribus beneficentia præſtantiſſimum, donationem. Reliqua autem omnia ius naturæ ſummum iudicem agnoſcere debent, atque adeo noſtris præcipue temporibus, ubi iuris prudentia magis magisque philoſophia & elegantioribus litteris colitur, ii ipſi, qui publice Principis auctoritate ad dirimendas lites conſtituti ſunt, in difficillimis

 rebus,

rebus, illisque litibus, qui nodi Gordii uidentur, ad ius naturæ, tanquam ſummum iudicem recurrunt.

Eſt igitur hoc ſtudii genus non ſolum ab illis, qui aliquando reipublicæ ciuili iudicando prodeſſe uolunt, ſed ab iis etiam, qui cauſarum patroni felices eſſe cupiunt, diligentiſſime colendum, ſi non leguleii & rabulæ, ut aiunt, audire uelint, quorum hominum genera optime definiri poſſunt, per cauſarum patronos, qui ius naturæ non didicerunt. Hæc autem iuris naturalis doctrina ſine aliis philoſophiæ ſcientiis, præcipue Logica commode feliciterque diſci non poteſt. Quam ob cauſam non ſolum Logica & jus naturæ ab iurium ſtudioſis, ſed & omnes aliæ philoſophiæ ſcientiæ non ſine induſtria colendæ, neque, ut uulgo fieri ſolet, Ius naturæ tantum cum Logica tractandum, quia tam multa ex aliis philoſophiæ diſciplinis petit principia ius naturale, ut ſine iis, qui hanc doctrinam tractet, magis ueritates iuris naturæ memoria tantum tenere, quam ex ipſis fontibus deriuare uideatur. Sine aliis enim philoſophiæ ſcientiis ius naturæ ſcientifice, ut philoſophi dicunt, addiſci non poteſt, & inde talis, qui non aliis inſtructus philoſophiæ doctrinis, quam facillime ab unoquoque, ex ipſo iuris naturalis fonte diſputante, conuelli ita poteſt, ut diſturbatus, etiamſi ueram habeat ſententiam, iaceat. Qui ergo uerus Iureconſultus euadere uelit, is ius naturæ ſolide diſcat, id autem ſolide, ubi nempe omne uerum propriis meditationibus ex ipſis fontibus haurimus, nemo comprehendere ſine aliis philoſophiæ ſcientiis poteſt. Qua de cauſa iurium cultoræque ac theologus in omnibus philoſophiæ diſciplinis eruditi debet. Super hæc matheſeos etiam ſcientiæ non exiguo iureconſulto ſunt emolumento maxime arithmetica, cuius uſus tam crebro, ut, ſi eam non calleat, ſæpiſſime arithmetico opus habeat.

Medicina

Medicina tandem, quæ ſcientia eſt motus machinæ noſtræ integre conſeruandi, & deſtruentes tollendi, quanta quanta eſt, principia ex philoſophia petit,&, quicquid in hac ſcientia eſt ratiocinii, illius fulcris ſuſtentatur. Nobiliſſimæ enim philoſophiæ ſcientiæ, phyſica, anatomia, phyſiologia, chymia, feliciſſimos faciunt medicos, atque adeo ſine his diſciplinis uerus non eſt medicus, ſed empiricus & anus. Vt autem omni tempore inter practicos & theoreticos magna fuit diſſenſio, ſic etiam in Medicina. cum hi, ſola ratione, illi, ſola experientia, freti, ægrotis mederi uoluerint. Vtrique certe falluntur. Nam ſine cognitione corporis humani, & mediorum, empiricus non poteſt non errare, qui certum ſibi conſtituit finem, & tamen naturam mediorum, per quæ finem obtinere uelit, illiusque objecti, in quo uerſatur, corporis humani, ignorat. Sola autem ratione innixus Medicus, omnemque experientiam contemnens, ſæpius ſe opinione fallere poteſt, optimisque ratiunculis ſe ipſum in errorem inducere, cum nemo inficias eat, multa ex euentibus cognoſci poſſe, quæ uel proſint, uel obſint corpori noſtro. Vnde præſtantiſſimi ſemper Medici theoriam cum praxi coniunxerunt. Verum eſt, ut LETHIEVLLIEVR, in Academia Pariſienſi, Gratioſi Ordinis Doctor regens, in obſervationibus medico practicis, ait, ægrotos ratiocinatione medici non conualeſcere, ſed etiam nemo negat, ex ratiocinatione Medici, quam in applicando medio ad ſanandum ægrotum adhibet conualeſcere morbo affectum melius & tutius, quam ſi empiricus ſola cœca experientia fultus, illi auxilium præbuiſſet. Veterum medicina magis fuit emprica, ac noſtra, unde philoſophiæ ſcientiis cultioribus deſtituti, anatomia phyſiologia, obſcurum per obſcuriora explicare operam dederunt, e. g. excretiones, per uim expultricem, & ſic plura, quæ omnia autem hodie commodiſſime in phyſiologia explicantur. Immo ipſius ſanguinis circulum

 ignorarunt,

ignorarunt, quem HARVEIVS, Medicus Anglus, in magnum artis ſalutaris incrementum inuenit. Manifeſtum igitur eſt, quam maximum ad Medicinam afferre uſum has philoſophiæ ſcientias, phyſicam, anatomiam, phyſiologiam, chymiam, quæ, cum Medicinæ maxime inſeruiunt, a ſolis fere Medicis tractantur, & inde quaſi ex philoſophiæ diſciplinarum numero exciderunt. Multi etiam Botanicam ad philoſophiam referunt, ſed illa magis ad hiſtoriam naturalem, quam philoſophiam referenda. Virtutes enim herbarum, aliorumque corporum, quæ uim medicam habent, ope chymiæ & experientiæ explorantur, atque deinde in materia medica recenſentur.

Ex matheſeos porro diſciplinis egregium capit emolumentum medicina, præ ceteris ex Hydraulica & Mechanica. Corpus enim noſtrum nil aliud eſt, quam machina hydraulica, quæ ſecundum leges mechanicas mouetur. Et harum ſcientiarum beneficio omnia, quæ ueteres animæ facultatibus, calido innato, humido radicali, & potentiis ſpiritualibus & aſtralibus attribuerunt, commode ac perſpicue explicari poſſunt, quæ omnia, ſecundum hypotheſin STAHLIANAM ſi ratiocinari uelles, confuſa eſſent, & nullius pretii. Sed merita harum ſcientiarum tam magna & clara in Medicinam ſunt, ut eæ non ſolum magnam hodiernæ medicinæ lucem attulerint, ac demonſtrarint, quanta in obſcuritate uerſati fuerint ueteres, uerum etiam in explicandis cauſis euentus reſponderint, præcipue in circulo ſanguinis, qui eſt motus ſanguinis progreſſiuus, per arteriam aortam, quæ ex ſiniſtro cordis uentriculo exit, motu ſyſtaltico & diaſtaltico ſanginem in omnes corporis partes propellens, qui deinde iterum per uenam cauam at dextrum cordis uentriculum reducitur, & inde per arteriam pulmonalem illiusque ramulos in uenæ pulmonalis ramulos immiſſus per hanc uenam ad ſiniſtrum cordis uentriculum adductus iterum per aortam emittitur, & ſic machina noſtra conſeruatur tam diu, quam canales, in quibus fluida uehuntur, ita comparati ſunt, ut per eos ſanguis atque humores commode fluere, & ita integre excretiones ac ſecretiones, abſolui poſſint.

Ex

Ex paucis his dictis haud obſcure colligendum, quantus ſit philoſophiæ uſus, quantaque præſtantia, in theologia, iurisprudentia, Medicina. Quicunque igitur cum fructu uel ad theologiam accedere, uel ad iurisprudentiam ſe applicare, uel medicinam colere animum induxerit, is certe antea philoſophiæ operam dare debet, &, ſi omnes philoſophiæ ſcientias excolere, uel tempus, uel aliæ conditiones denegent, tamen maxime neceſſarias, ante omnia addiſcat, ne plane illotis, ut aiunt, manibus ad rempublicam adminiſtrandam ueniat. Immo ſine philoſophia nunquam uerus erit theologus uel iureconſultus, uel Medicus, & plane ineruditus. Eruditio enim eſt habitus intellectus occultas ueritates concluſionum ſerie ex primis principiis demonſtrare, id quod ſola ex philoſophia diſcitur. Vnde theologus ſine philoſophia ſimplex Chriſtianus, qui mera ex traditione credit. Theologia enim reuelata non eſt eruditio, ſed ſuper omnem eruditionem tranſcendens diuinorum myſteriorum ſcientia, & iureconſultus ſine philoſophia Leguleius, & Medicus ſine philoſophia Empiricus.

Taceo nunc inſignem hanc utilitatem, quam philoſophia in iis diſciplinis præbet, quibus fortunatos nos in republica reddimus, & commemoro hoc ſaltem, quod unicum ſufficeret ad philoſophiæ ſtudium quam diligentiſſime colendum, quod nempe tam ad cognitionem naturæ & Dei, quam ad uitam felicíterprudenterq; inſtituendam uiam monſtrat, & ab omnibus illis plebeiis erroribus nos liberat.

Hoc inſigne philoſophiæ ſtudium, ut promoueamus, quantum in nobis eſt, omni ratione nunc operam dabimus. Quam ob cauſam.

I In quibusdam philoſophiæ diſciplinis, in illis nempe, quas uulgo philoſophiæ nomine comprehendunt, litteratæ ornatiſſimæque in hac Academia iuuentuti præire animum induximus, ita ut intra anni ſpatium certo certius eas abſoluamus, omnique diligentia operam demus, quo omnia clare ac perſpicue commilitionibus honoratiſſimis explicemus, & ſic uiam ad ſapientiæ humanæ fontem monſtremus. Præterea

II Recitationes philologico Græcas in nouum foedus inſtituemus, ubi non tantum legemus Greca uerba, eaque Latine conuertemus, ſed &, quod ad genium Græcæ linguæ, idiotiſmos, dialectos, difficiliores uoces reſoluendas, omnemque philologiam pertinet, animaduertemus, easque poſt annum finiemus.

III Ius naturæ, duce Puffendorfio, de officiis hominis & ciuis prælegemus, omniaque ex ipſis fontibus probare conabimur, inprimisque ut nobiliſſimæ huius ſcientiæ ueritates multis ex hiſtoria exemplis illuſtremus, poſt dimidium annum autem hoc inſtitutum abſoluamus.

IV Novam ſcholam muſicam aperire conſtitui, & hanc ſcientiam ſuauiſſimam, quæ certe multas alias requirit, etiam in hac Academia, quod ad theoriam, docere. Quod ſcientia ſit, & alii & ego in diſſertatione, de muſica ſcientia & eruditionis philoſophicæ parte, nuper Vitebergæ auctiore & longe emendatiore recuſa, probaui. Eam autem in Academiis eſſe docendam, & illuſtria in Italia & Anglia exempla, & ipſum ſcientiæ nomen, comprobant. Nullus igitur dubitaui ampliſſimam hanc ſcientiam, ornatiſſimamque honoratiſſimis commilitonibus, duce MATTHESONIO, Viro in muſicis ſcientiis, noſtris temporibus plane ſingulari, eiusque libro, quem das neu eroeffnete orcheſtre, appellat, per hoc ſemeſtre tradere. Inſtitutum autem noſtrum eo tendit, ut has recitationes frequentas ſufficientem de omni muſica habeat cognitionem theoreticam, ac de concentu harmonico, ſeu compoſitione, quem, uel audit, uel uidet, iudicare, & ſic Muſica magis ac alii ignari, delectari poſſit. Qui uero ad altiores Muſices diſciplinas progredi uelint, iis, interiores ſi a me inſtitutiones expoſcant, nunquam deero, quippe qui me totum huic Academiæ, eiusque litteratæ ornatiſſimæque iuuentuti dedi, ac dicaui. Ad has recitationes frequentandas honoratiſſimos commilitones decenter inuito, &, ut me, ob eligendas horas, conueniant, omni humanitate rogo. Muſeum noſtrum eſt in platea, a S. Catharina nomen habente, in ædibus Graffianis, in ſecunda ædium parte.

✲ ✲ ✲ ✲
✲ ✲